DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

CEREBRI CONCUSSIONE;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
NECNON
AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS KENNEDY,
Hibernus.

"*Vaga enim experientia et se tantum sequens—*
"*mera palpatio est, et homines potius stupefacit*
"*quam informat.*"

BACON, Nov. Org. lib. i.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
Excudebat Jacobus Neill.

MDCCCXIX.

PATRI SUO DILECTISSIMO,

AMICO INTEGERRIMO,

REVERENDO

Samueli Kennedy,

DE SPRINGFIELD,

IN AGRO CAVANENSI,

DE

CROSSRULE PASTORI AMATO;

HASCE LABORIS JUVENILIS

PRIMITIAS IMPERFECTAS,

SUMMI AMORIS, OBSERVANTIÆQUE,

FILII,

PIGNUS PEREXIGUUM QUAMVIS SINCERUM,

PERLIBENTER ET HUMILITER

DICAT CONSECRATQUE,

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CEREBRI CONCUSSIONE.

GULIELMO KENNEDY Auctore.

INJURIÆ hujus frequentia, exitus sæpissime infelix, auctorum qui morbum scripsêrunt paucitas, et horum observationum penuria, me, de Cerebri Concussione breviter disputare, induxerunt.

Inter auctores qui hanc injuriam notaverunt, SABATIER *, BOYER †, HILL ‡, POTT § multa con-

* Medecine Operatoire, tom. 1.

† Traité de Maladies Chir. tom. 5.

‡ Cases in Surgery.

§ Surgical Works, vol. 1.

tulerunt. DESAULT *, J. BELL †, ABERNETHY ‡ et O' HALLERAN § precipue laudari debent.

Sine ullo procemio longiore, in paginis sequentibus ad ordinem quendam observandum, haud a re foret existimans, in hoc modo pergam:

1mo. De Cerebro Monitiones paucæ.

2do. De Concussionis Natura.

3tio. De Indiciis.

4to. De Diagnosi inter Concussionem et Compressionem.

5to. De Aspectu Morbido, Cranio patefacto.

6to. De Remediis.

7mo. De Morbis remotius sequentibus.

DE CEREBRO MONITIONES PAUCÆ.

NON mihi in animo est, partes intra cranium et earum physiologiam minute describere; revera,

---

* Oeuvres Chirurg. tom. 2.

† Principles, vol. ii. and Essays on Wounds.

‡ Surgical Observations.

§ Trans. Roy. Irish Acad. vol. iv.

fortasse proposito nostro presenti id haud conduceret, et sane, dissertationis hujusce fines necessarie angustæ, huic minime convenirent. Igitur, mihi liceat solummodo notare, cranium continere cerebro, cerebello, et eorum appendicibus, arteriis, venis, nervis, et sinibus, qui sunt sacculi triangulares, valde rigidi, qui cum venis libere communicant, et ad sanguinis regurgitationis mala prohibendum apte conservant, quoniam hæ venæ, ut aliæ corporis, non cum valvulis suppeditatæ sunt; sed maxime mentionem facere vellem, de quantitate sanguinis magna quam hoc organum exquisitissimum permittet, et etiam irritabilitate illa eximia, qua vasa ejus tenerrima insigne fruuntur, tantum hoc organum consideremus quod (ut videretur) nulla secretione fungitur, et quoad totum corpus tam parvum est: hoc dico, totius sanguinis circiter partem decimam transmittens, et cum vasis structuræ delicatissimis facillimeque irritandis, et haud difficile concipiemus, quomodo afficeretur a stimulis ullis violentioribus, his vasis æque ac cerebro applicatis, quæ plus satis agentia, et ex eo sese distendentia, ad munerum omnium affectionem, et ex pressura ad eorum totam extinctionem conferent. Existimaretne

quisquam hoc vasorum systema, quod prout cogitationes animi fugaces afficient, nihil, ad hæc symptomata formandum quæ concussionis irritatio violentior producit, agere?

DE CONCUSSIONIS NATURA.

Perturbatio ea, vel extinctio tota sensûs, et munerum animalium suspensio, quæ violentiam in caput inflictam superveniunt, et commotioni cerebro receptæ comitant, sine ope fissuræ, fracturæ vel ullius indicii injuriæ externæ, et sæpe his in nullo connexa, concussio cerebri apte nominata est. Apellatio concussionis satis idonea est, et ad affectionem instantem enunciandum optime accommodata est; sed notio affectionis hujusmodi (sensus privationis, &c. &c.) ex quassatione vel concussione, provenientis, hanc idæam generaliter inducit, viz. systema nervosum solummodo sustinere injuriam instantem; saltem hoc mihi significationem communem esse videatur: repeto, cum cerebrum vehementer quassatum sit, vel ictu in caput, vel quassatione corporis totius caput afficiente (nam his modis morbus fit) affectionem esse nervosam; hoc sys-

tema primo statim et per seipsum afficere: sed hæc opinio valde erronea, videtur.

Unusquisque, vim magnam, actionem late patentem, et ad morbum formandum necnon excipiendum mobilitatem eximiam nervorum, agnoscit. Sed, fortasse, eorum vires et affectiones sæpissime multiplicatæ sunt, et non raro ad inscientiam velandum implicatæ, et opinor si pauciores mutationes morbidæ ad eorum operationem tribuerentur, curationem nostram vestigiis stabilioribus progrediendum esse, et exitibus benignioribus ultimo finiendum. Theoria vis nervosæ nondum explicata est, modus operandi, et quo modo afficientur, pariter sunt obscura; forsan plurima ad hoc proposita sine injuria deficerimus, quia deinde, nunquam essemus incommodati farragine longa medicamentorum vulgo nominata nervosorum, quorum actiones in systema etiam effectus salutares haud sunt manifesti, non raro ambigui.

Jam ego existimo, percussionem in hac injuria, systema vasorum primo et instantius afficere, et affectionem nervorum fere vel omnino esse consecutionem sanguinis in caput influentis, vasorum amplificationem incitantis, et ex hac pressuram in cerebrum applicantis. Eximius

J. Bell, sic juste scripsit: "Whatever the powers "and properties of the brain are, they are pe- "culiarly maintained by the circulating blood; "when this is encreased, the brain is excited, "but as soon as the veins are no longer capable "of transmitting freely the blood from such "high arterial action, the circulation is suffoca- "ted, and the brain oppressed *." Sed hæc omnia, (ut ille auctor doctissimus alibi notat) instanter acciderent. "The arterial system of "this exquisite organ, is peculiarly irritable, "and like the arteries of the penis, cheek, eye, "those of the brain, are in an instant, and as it "were electrically excited, even by a thought "flashing across the mind." Quoniam tunc videmus, ut hæ arteriæ, tam facile quam ex causis nugatoriis excitatæ sint, nonne magis et velociter excitabuntur concussione violenta, nisi eorum structura (quod rarius occurrerit) in totum fuerit læsa? Nonne plus juste agerent, et sanguinis circuitum suffocarent? Amplificatione venarum efficiente, in cerebrum pressura applicante, et totum hoc instanter, vel cum velocitate quasi cogi-

* Principles of Surgery, vol. ii. p. 819.

tationis, satis ad hos effectus quos hanc injuriam subsequi videamus, statim producendum.

Quandam existimaveram, sanguinem vi concussionis ex cerebro fere in toto expulsum esse, et nervos cerebrumque injuriam instantem et primam sustinere, atque munera haud iterum fuisse peracta, donec illi vim antiquam, vasa stimulare, et sanguinem in cerebrum solicitare, recuperaverunt. Necesse est harum rerum unam evenire, vel sanguinis redundantiam, vel inanitatem, nam certissime, sanguis (dum perstant symptomata prima) haud per cerebrum libere fluit. Autem hic rei conspectus, nempe injuriæ nervorum primariæ, et expulsionis sanguinis, plurima et fere omnia symptomata, sed maxime profluvium sanguinis ex naribus, auribus, et interdum oculis, quæ evenire dicuntur, nunquam mihi explicaret. Equidem, vix opinari possum, cerebrum quod cranio tam intime implet, ullo modo tantopere posse affici (nisi lacerata fuisset) quam coacervati sanguinis pressura.

Rem, quod opinionem hanc nostram magis quam alia favet, commemorabo. Hocce est, quod ex ictu in cervicem supra venam jugularem pugilibus inflicto, omnes accidere viserimus: post hujusmodi ictum, homo stupefactus

procidit; sanguis e naribus vel auribus fluit; facies rubescit et tumescit, forsan nonnunquam pallescit; breviter, omnia symptomata (quamvis leviora et ævi perbrevioris) concussionis gravioris ostendit. Ratio satis obvia patet. Ictus super venam internam jugularem, circulationem ejus impedit, et regurgitatio quasi sanguinis fit, necnon arterias accelerat vel excitat, quæ vasa omnia distendentes dein pressionem in cerebrum applicantes stuporem subitum, &c. efficiunt. Ex impeditione sanguinis subita, vasa teneriora (e. g. hæc membranæ schneiderianæ) derumpuntur, et hæmorrhagia fit. Harum rerum jam præpositarum summarium breviter repetam: nimirum symptomata concussionis cerebri (vel potius ejus vasorum) maxime et fere omnino, ex distensorum vasorum pressura creare. Fateor, concussionem meram, systema nervosum instanter afficere posse; sed, quia (ut dixi) "cerebrum cranio tam intime "implet," p. 7. ut signa concussionis nisi actione vasorum (quæ partes mobiliores sunt) non producentur existimo.

Hæ observationes, quamvis imperfectæ, si intelligentur, nobis subministrabunt, sperarem, ad aspectum morbi melius illustrandum, diagno-

sin facilius formandum, et rationem medendi scientiæ magis congruentem adoptare.

DE INDICIIS.

QUUM homo quassationem capitis violentam patitur, sive ictu vel lapsu in caput, sive in aliam corporis partem, qui commotionem cerebro subitam communicare sufficiat, symptomata gravissima ostendit, et concussionem accipisse dicitur. Chirurgus ille merito æstimatus J. ABERNETHY *, stadia in hoc morbo tria distinguit. In stadio primo, et statim post injuriam inflictam, homo, sine sensu motuque voluntare decidit, cum maxima spirandi difficultate afficitur, videtur quasi spirare invitus, donec ex necessitate hanc functionem pernecessariam perficere impulsus. Spiritus dicitur, sine stertore maxime fieri. Pulsus debilis, parvus, tardus, laborans, rarius abnormis, sed interdum cessare videatur. Cor arteriæque, sive ex dis-

* Surgical Works, vol. i.

tensione minime sufficiente sanguinis tardius redientis ex capite, sive ex vis nervosæ et stimuli defectu, vel his ambobus, ad sanguinem in partes corporis extremas propellendum minime valent, quæ igitur frigescere sentiunt. Ego putare sum proclivis, oculos, nullum signum peculiare vel diagnosticum, monstrare; pupillæ interdum dilatatæ, aliquando naturales sunt, sed fere in omni, non stimulo lucis potentissimo mutatæ. DESAULT * in observationibus ejus præstantissimis, hanc rem sic definit: "Immobilité de l'iris; "insensibilité de cette membrane, à la plus "vive lumière." Facies ex determinatione sanguinis majore partibus internis maxime est pallida. CELSUS †, HILDANUS ‡, J. BELL § aliique, notaverunt hæmorrhagiam ex variis partibus, nempe e naribus, auribus, ore, et etiam ex oculis, frequenter accidere. Sed CELSUS hunc morbum ex cranii fractura haud distinxit, et

---

* Oeuvres Chirurg. par, BICHAT, tom. 2.

† De Medicina, lib. viii. cap. 4.

‡ Thesaurus Chirurgiæ.

§ Principles of Surgery, vol. ii.

affectionem ex injuria ossis externi ipsius pendentem omnino considerare videtur. "Igitur ubi ea "percussa (dixit) protinus requirendum est, num "bilem is homo vomuerit; num oculi ejus ob- "cæcati sint; num obmutuerit; num per nares, "auresve sanguis ei effluxerit; num considerit; "num sine sensu quasi dormiens jacuerit." *(nota)* "Hæc enim non nisi osse fracto eveni- "unt *." Plurimi auctores dicunt vomitum hanc injuriam semper comitare, et credo ut pluribus sed non omnibus eveniat. Natura tamen non diu ferre potest hæc mala coacervata; si diu perstarent, vel acerbarentur, ægrotans obit. Sed si cerebrum obsistere valet, vel pressuræ distensionis consuefactum, vel ea pressura amovata, actione cordis assidua, et haud facile victa, sanguinem canalibus propriis solicitante, munera adoptata recuperare gradatim incipit; stimulum et vim tam necessarias ad cordi vasisque dandum, valere videtur. Partes corporis extremæ calidiores fiunt. Pulsus et respirationes meliuscule nunc se habent, et sensus motusque redire incipiunt. Jam stadium secundum

---

* De Medicina, lib. viii. cap. 4.

fit, æger si nunc vellicetur, vel ammonia naribus applicetur, valde offensum ferre videtur. Questionibus nunc ei propositis, cum vocibus brevibus, plerumque monosyllabis, respondit, et fere non nisi de passionibus ejus instantibus respondere vult, ut dolore capitis, &c. Res notari perdigna DESAULT *, ABERNETHY † aliisque observata fuit, nempe, adeptionem quendam nuper acquisitam (ut linguam non indigenam) ægrotantibus hujus morbi fere vel omnino oblivisci. DESAULT scripsit "que les choses nouvelles s'ou-" blient; les anciens restant gravés." His omnibus decedere pergentibus, ægro cum sensu magis affecto, et eò systemate irritationem facilius suscipiente, stadium tertium inducit; quo respiratio magis accelerata fit, superficies calidior, pulsus validior et plenior, facies erubescit; breviter, symptomata inflammationis cerebri, vel mitioris vel gravioris, seu breviori seu longiori tempore perstantia, nunc incipiunt. Interdum hæc vasorum reactio nil nisi sanitatem inducit, et haud potest dicere inflammatio, sed nonnun-

* Oeuvres Chirurg. par, BICHAT, vol. ii.

† Surgical Works, vol. i.

quam post exitum injuriæ apparentem longe supervenit. Inflammatio hæc creari videretur reactione vasorum, ad vim antiquam, et *caliber* recuperandum, quæ distensione amiserant. J. Bell, signum benignissimum hoc putavit.

Hæc stadia tria, in nulla ratione regulari procedunt, sed progressum morbi bene illustrant.

Hæc supradescripta, curriculum morbi commune monstrare viderentur. Interdum solummodo in diem unum, interdum per hebdomadas duas, vel longius, perstant. Sed concussiones leviores, et ævi perbreviores fere nobis omnibus acciderunt, et rarissime perterrifecerunt. Homo in glaciem lubricam, super quæ Anglicè dicta *skates*, labitur, et ut ludicre dicent, "loses his "gravity" et in caput vel podicem dilabitur; absque sensu in breve tantum jacet; interdum sanguis (plerumque) e naribus fluit, sed hæc post sudorem profusum, nonnunquam nauseam vel vomitum, cito discedunt, tantum dolorem capitis levem, et in breve linquentia.

DE DIAGNOSI INTER CONCUSSIONEM ET COMPRESSIONEM.

Jam symptomata plurima consideravimus, et aspectus varios hujus morbi monstravimus, quæ hunc morbum aliis certissime dignoscere viderentur; sed eadem symptomata aspectus ipsissimos, injuriam natura dissimillimam et diversam comitare inveniemus, imo causa eadem excitans effectum maxime dissimilem, sæpe inducit, nimirum compressionem ab extravasatione. Hæc ex ruptura vasorum quorundam evenit, frequenter vasorum duram matrem cranio connectentium; vel effusio sanguinis in alia parte cerebri fieri potest, et profluvio sanguinis in caput subito efficeri videtur. Nunc rogo, quomodo symptomata horum morborum differe possent? Quoniam uterque ex eadem causa proxima oritur, nempe pressura quamvis varie applicata, in hoc ex sanguine effuso, in illo vasis distensis. Dicitur, ut in compressione pupillæ sint dilatatæ, respiratio cum stertore, et ut stupor non universus sit. Etiam dicitur vomitum raro adesse, sed ipse opinor, ut signa utriusque haud vel

minime differre possent, vel non ut signis ipsis diagnosin formaremus. Autem si ad circumstantias utriusque morbi attendamus, fortasse ad diagnosin appropinquari possumus, et sequentes recordari commendarem:

1mo. Privatio sensus, stupor subitus et universus, aliaque indicia ante citata, percussionem cerebri instanter sequentia, ex concussione mera frequentius et fere semper oriuntur.

2do. Concussio non sæpe vel necessarie, in longum perstat; si valde gravesceret, mors sequetur.

3tio. Si symptomata gradatim gravescerent, respiratio magis sonora, oculi magis fixi, sed præcipue vulnus, si ullum, vel pars læsa, si caput ictum esset, valde mutatum esset, tunc extravasatio suspicata sit, vel certe indicata, et chirurgia sanare vocaretur.

4to. Si, concussione gradatim evanescente, vel omnino decidente, homo iterum cum stupore, &c. afficeretur, tunc extravasatio certe indicatur, si tempus longum inter abitum illius et accessionem hujus veniet, tum suppuratio verisimile accidit.

Eximius Pott circumstantias extravasationis, necnon et suppurationis optime scripsit.

J. Bell putavit se nunquam errare posse his morbis distinguendis, maxime rebus sequentibus, viz. concussionem, cerebrum totum eo omnes functiones æque afficere, in hoc vere prædicat. Sed compressionem vel minime vel partim ejus munera turbare, et paralysin partis cujusdam semper adesse, valde vaga et haud credenda videntur.

DE ASPECTU MORBIDO.

Quamvis in multis morbis, symptomata gravissima affectionum partium particularium procreantibus, dissectio partium spes fefellit, tamen in concussione (nostra theoria admissa) aspectus quosdam invenire expectaremus, qui morbum explicarent; sed hi rarissime nobis monstrati sunt. Non pauci dicunt se nullam rem præter naturam observasse, alii notaverunt læsiones cerebri, sed nullam vasorum mutationem. Sed ego dicerem, cum J. Bell, morem squalidum et nauseantem, quo hoc organum delicatissimum frequenter dissecatur, et ut sæpissime pueris confidetur qui visum cerebri sanum morbido non dignoscere possunt, haud aliquid demon-

strare posse. Si bene recordor, hic auctor dixit, se casum hujusmodi dissecare, quo vasa turgida, et pia mater ruberrima videbantur. Sed res extraordinarius, et certe non verisimilis se observare nonnulli dicunt, viz. aliquando cranium patefecerant cerebum illud implere haud videbatur! et illi, qui hoc imaginaverunt nec pueri, nec squalidi fuere, sed inter celeberrimos chirurgos, nempe LITTRE, HOME et O'HALLERAN. Nunc manes HIPPOCRATIS testor! ut nulla res hujusmodi in hoc morbo fieri potueret. Bene scimus cranium solidum et firmum esse, et haud in minimo valet, se ad ullam mutationem vel recessionem cerebri statim adaptare; eo si hæc recessio fieret, vacuum formaretur, sed hoc non nisi ruptura vasorum, hæc vasa sanguinem effunderent, et vacuum implerent; igitur injuria (arcte dicens) non concussionem sed extravasationem fieret. De hac re, citare chirurgiæ et doctrinæ amicum DESAULT, veniam oro. "Pour qui con-
"noit la structure organique de cerveau, il est
"difficile de concevoir comment il peut ainsi se
"retirer sur lui meme, et diminuer tout-à-coup
"de volume. Il paroit que la pression exercée sur
"lui soit par l'epanchement, soit par l'en-
"foncement, est la seule cause capable de pro-

"duire ce phenomene." Si hæc recessio unquam accidisset, dicam, hominem nulla concussionis indicia monstravisse, nulla nisi ea vel compressionis gravissimæ, vel demum instantis mortis. Nunc rogo, si ulla dissectio nobis relata fuit, qua æger, post symptomata præter concussionem nihil indicantia, mortuus est? confiteor me nullam hujusmodi vidisse, quam primum videro, cerebri venas sanguine exsaturatas videre expectam.

Post inflammationem non mea est visus enumerare.

DE REMEDIIS.

Quoniam visimus, ut inter concussionem et compressionem diagnosis certissima non in omnibus formari posset; cum summa diffidentia nos efficiet, de ratione tractandi, sed satisfaciens et gratum est cognoscere, ut si consideraremus et etiam tractaremus quasi concussio adfuit, quamvis in re fuit compressio, tamen sanatio propria illius (concus.) tametsi ad hanc (compres.) amovendum minime valens non morbum gravescet, potius levabit, donec notitia certior adipiscetur de natura morbi, ex partis vitiatæ aspectu mor-

bido et mutato. Quum symptomata quæ ex concussione oriri viderentur, apparent, indicationes duæ se suggerunt. In stadiis 1mo et 2do stuporem et functionum vitia amovere, et mala stadii 3tii prævenire : Stadio 3tio, quo excitatio nimis accidit vel metuetur attentio ad hunc præveniendum vel medendum.

In primo stadio quo symptomata, ex sanguine nimio et cerebri distensione pendere videntur, venæsectio primo suggereret, equidem opinor, ut detractio sanguinis si proxime, directeque ex cerebro fieri posset, concussionis symptomata haud minus expedite amoveret, quam emissio sanguinis effusi ope instrumenti *Trephine* in compressione applicato, valet. Sed sanguis non e cerebro directe trahetur, nisi per venam jugularem internam, hæc non sine maximo periculo secetur, et igitur in nullo casu (cum venia) fieri posset. Jam existimaretur ut detractio sanguinis ex alia parte, idem munus quamvis non tam instanter, administraret. Attamen hæc modificatio, quæ ad eandem finem ultimo conducere videretur, ad unam maxime diversam conduceret, et opinor ut ratio in hoc plane constet. Recorderis me dixisse (pag, 10.) pulsum, ex sanguinis redeuntis quantitate minima, cor haud satis

distendente et stimulante, abnormem et debilem non minime pendere. Nunc, si vena jugularis interna esset secta, quamvis eo sanguinis redeuntis quantitas multo magis minueretur, tamen pressura cerebro instanter removeretur, quod inde valeret, cor et vasa stimulare, ad circuitum perficiendum. Sed detrahendo ex alia parte, sanguis ex corde plus directe amoveretur, et non e cerebro, hinc si plurimus ablatus esset, cor et eo vita impedirentur. Ex his pareret, sanguinem nunquam sine periculo haud sine incommodo trahi posse : Tamen nonnulli laudant, et inter remedia prima et sola celeberrimo Pott æstimabatur.

Stimulantia interne adhibita qualia vinum, et ammonia, auctoribus doctis laudata fuerunt, et ut Abernethy dixerit, ex similitudine apparente inter hunc morbum et syncopen, sed non necesse est me dicere post Abernethy de eorum periculo, et sane fere tota inertia, symptomata prima amovere; nam existimo, ut in stadio primo propter conditionem nervorum torpidam, ea (stimulantia) haud vel minime valerent, sed in ventriculo segniter manerent, usque ad stadium secundum, dein nemo eorum incommoda gravissima negaret.

Nuper legendo in operibus J. Bell de concussione, valde attonitus fui invenire quasdem res non omnino congruentes, nam in opere suo maximo doctissimo de Elementis Chirurgiæ, fere omnino cum Abernethy jungere videretur, de inanitate et incommodis stimulantium, sed in opere suo utilissimo de vulneribus, opiniones tam absurdas et periculosas observa! de concussione tractans, et de ejus natura inscientiam libere agnoscens scripsit "only this we know concerning "its ultimate effect, that it produces a general "weakness over the whole body, and the cold "extremities, dilated pupils, laborious breath-"ings, and intermitting pulse, are the signs of "this weakness, and stimulants are well known "to be the only cure!!" et postea addit "and he "is best recovered by hartshorn and wine!" vereor, dominum Bell hæc verba inconsulto jactare. Multi allii de hac re gravissima erraverunt, ut Bromfield, Desault, &c. certe videretur, ut hæc remedia nunquam sine culpa usurpari debent, tamen nonnulli nunc dierum, et intra hæc mænia diverse sentiunt. Alium modum stimulantia applicandi noscimus, et ad instantem morbum levandum, et consecutiones malas præveniendum eximie adaptatum. Dico, de vesica-

toriis,—inflammationem topicam inducere, et hæc quæ hanc mutationem quam citissime fiunt, anteponi debent. Medicamentum hac vi insigni dotatum, et non ad incommoda cantharidum obnoxium, doctissimus, et plurime veneratus præceptor meus Professor MONRO in capitis inflammatione commendat, nempe unguentum ex tartrat. antimonii *, hoc citissime agit vasiculas plurimas, sed haud " pustulas" creans, et non " vomitum" movens. Cantharides capiti applicatæ, in systema absorbentes, affectiones dolorosæ, organorum urinariorum creant. Cataplasmata sinapis a nonnullis feliciter usurpantur.

Primum nobis est observare, cum homo in concussione ægrotans nobis oblatus sit, omnes sordes terreas, si ullas, cum aqua tepida removeri, et in positione ad consolationem quam maxime conducente, ægrum recumbere. Quoniam fere semper æger frigidus est, inter stragula calefacta poni oportet, et lateres calidos vel sinapismos imis pedibus admoveri. Nunc tondeatur caput, et vulnera si ulla specillo tententur, et secundum

---

* ℞. Tartratis Antimonii ʒj.
Unguenti ceræ albæ (Ph. Dub.) ℥j. M.

artem curentur; deinde vesicatorium applicari debet, et simile pileo nocturno caput cingere oportet: postea id tempus idoneum mansit, removeatur, et pars cum panno linteo cum unguento sabinæ superstrato obtegi debet, ad irritationem longius excitandum. Nunc symptomatum progressum attente observamus, ex pulsu, respiratione, et faciei et oculorum visu, per hoc totum stadium et per secundum, vel versus ejus finem, et ad tertii initium. Hoc, grave tempus frequenter se habet. Si natura vel ars aut utræque affectus primarios amoverint, sane plurimum perfecerunt, sed nunc nobis est alium gravem morbum non raro animadvertere, morbum quo remedia artis nostræ validissima postulantur. In hoc stadio scimus, inflammationem sæpe evenire. JOHANNES BELL, ad hanc rem benigne intuitur, et vere pro rationibus optimis quum cum eo stupore secundario qui extravasationem indicat, comparatur: "Nor am I over "anxious (dixit) when I find my patient insen-"sible, lying in a state of stupor, resembling "intoxication, if that first stupor be followed, "by arterial action, for then I know that the "oppression is from no local cause, nor deliri-"um, which is a forerunner of recovery."

Nihilominus inflammatio hujus partis vel citius vel serius adveniens semper valde formidata est, quia morbos gravissimos, si non mortem, frequenter inducit. De inflammatione DESAULT, POTT, et J. BELL optime et dilucide scripserunt.

DE MORBIS REMOTIUS SEQUENTIBUS.

PIGET me, ut hujus dissertationis academicæ fines necessarie angustæ, non me de his longius disserere concedunt, quam notare, cephalalgiam, epilepsiam, et hepatis affectiones, ex hac injuria non raro excitare, apoplexia et paralysis rarius sequuntur.

FINIS.